THOMAE VALLAVRII

DE ITALORVM DOCTRINA

A CALVMNIIS

THEODORI MOMMSENII VINDICATA

ACROASIS

FACTA STVDIIS AVSPICANDIS LITTERARVM LATINARVM
IN ATHENAEO TAVRINENSI

IIII CALENDAS DECEMBRES AN. M. DCCC. LXXII.

AVGVSTAE TAVRINORVM
EX OFFICINA ASCETERII SALESIANI
AN. M. DCCC. LXXII.

OPERE DEL COMMEND. TOMMASO VALLAURI

CHE SI SPEDISCONO CONTRO VAGLIA POSTALE
DIRETTO ALLA DETTA LIBRERIA.

PLAVTI (M. Att.) Captivi ex recensione Friderici Henrici Bothe a Taurinensi editore passim emendata; accedunt Thomae Vallaurii Animadversiones in dissertationem Friderici Ritschelii de Plauti poëtae nominibus; in-16, pag. 80, 1870 . . . . L. 0 50

— Trinumus: ad recentiores editiones exegit, animadversionibus auxit et scholasticis praelectionibus accommodavit Thomas Vallaurius, doctor decurialis latinae eloquentiae tradendae in R. Athenaeo Taurinensi, curator studiis historiae patriae provehendis, civis sarsinas; editio altera in-16, pag. 110, 1872 . . . . » 0 70

— Aulularia: ad recentiores editiones exegit, animadversionibus auxit et scholasticis prelectionibus accommodavit Thomas Vallaurius, doctor decurialis latinae eloquentiae tradendae in R. Athenaeo Taurinensi, curator studiis historiae patriae provehendis; editio altera in-16, pag. 144, 1872 . . . . » 0 70

— Locum in Mostellaria a Friderico Ritschelio depravatum nativae sanitati reddidit Thomas Vallaurius; in-8, pag. 12, 1870 » 0 50

POPMAE (Ausonii). De differentiis verborum, cum additamentis Ioannis Friderici Hekelii, Adami Danielis Richteri, Ioannis Christiani Messerschmidii et Thomae Vallaurii qui opus diligentissime retractavit; editio altera, in-16, pag. 438, 1870 . . . » 2 50

VALLAVRII (Thomae). Epitome historiae graecae, accedit lexicon latino-italicum; editio sexta diligentissime emendata; in-16, pag. 146, 1872 . . . . » 0 80

— Epitome historiae romanae ab urbe condita ad Odoacrem, in usum studiosorum, accedit lexicon latino-italicum; editio quarta in-16, pag. 216, 1871 . . . . » 1 20

— Epitome historiae patriae, accedit lexicon latino-italicum, editio tertia diligenter emendata. Cui Principum Allobrogicorum stemma est adiunctum; in-16, pag. 86, 1869 . . . . » 0 70

— Historia Critica litterarum latinarum; accedit πάρεργον aliquot monumentorum latini sermonis vetustioris; editio octava in-16, pag. 204, 1872 . . . . » 1 50

THOMAE VALLAVRII

DE ITALORVM DOCTRINA

A CALVMNIIS VINDICATA

. . . Et nos aliquod nomenque decusque
Gessimus.

P. Virg. *Aeneid.* ii. 69.

THOMAE VALLAVRII

DE ITALORVM DOCTRINA

A CALVMNIIS

THEODORI MOMMSENII VINDICATA

ACROASIS

FACTA STVDIIS AVSPICANDIS LITTERARVM LATINARVM
IN ATHENAEO TAVRINENSI
IIII CALENDAS DECEMBRES AN. M. DCCC. LXXII.



AVGVSTAE TAVRINORVM
EX OFFICINA ASCETERII SALESIANI
AN. M. DCCC. LXXII.

Auditores humanissimi,

Inter bona, quibus mortalium felicitas in terris cumulatur, haud in minimis hoc habendum existimo, auditores, in magna videlicet atque illustri urbe vitam degere. Hinc enim incredibile memoratu est quot commoda in nos proficiscantur. His adnumeranda artium multitudo, quibus et tutior et iucundior vita paratur; adnumerandae doctorum virorum opportunitates, quibuscum communicare, quosque, pro re nata, tibi liceat consulere; postremo illa publici moris urbanitas est adnumeranda, quae haud mediocre curarum lenimentum esse consuevit. Verum si mirabiles utilitates nobis praebet magna et illustris civitas, tum in secundis, tum in adversis temporum casibus, nostrae etiam partes sunt, quas a nobis patria deposcit. In primis autem nostrum est hoc munus, ut in summos atque illustres viros intueamur, qui rebus olim fortiter et laudabiliter gestis patriam a periculis

vindicarunt, afflictam recrearunt, amplam atque florentem ornare non destiterunt. Huc nimirum pertinet sapiens illud Aristotelis dictum, nemini gloriari licere quod magnae urbis civis sit; sed unicuique omnino videndum, an ita vivat, ut magna et illustri patria dignus habeatur (1). Quae quidem animo reputans, auditores humanissimi, ne clarissima hac urbe indignus forte sim dicendus, quae tot egregios et fortissimos viros qualibet tempestate protulit, pro solida Italiae laude elaborantes, optimum factum existimavi, si hodie acroases meas ita auspicarer, ut pro virili parte Italorum doctrinam a calumniantibus vindicarem. Profecto mihi licet apud vos gloriari, me haud inertem hactenus vitam transegisse, et (quod paucis admodum contigisse constat) me quinquaginta iam annos in latinis litteris tradendis ita versari, ut nullum laborem italicae iuventutis causa recusarem, nihil sane anxius aut de fama, aut de honoribus ac praemiis, quae saepe dormientibus deferuntur. Quo facto, etsi optimi civis officio mihi iam perfunctus videor; nulla tamen re me a proposito patiar deterreri, quamdiu Deo visum erit eas animi corporisque vires mihi suppeditare, quibus possim muneris mei partes naviter implere.

Equidem arbitror, unumquemque vestrum, auditores humanissimi, aut usurpasse oculis, aut fando saltem accepissse quae leguntur in historia romana, quam Theodorus Mommsenius, Vir Cl., superioribus proxime annis evulgavit. Praetermitto quae plusquam Niebuhriana licen-

tia scripsit de origine urbis Romae, ab iis plane abhorrentia, quae memoriae prodita sunt a gravissimis historicis romanis, qui aut incorruptis vetustissimis monumentis niterentur, aut populari opinione a maioribus veluti per manus tradita. Praetermitto complura eademque frugifera Romanorum instituta, quibus alienam quamdam formam et speciem germanus historicus affinxit. Venio autem ad duos praesertim locos, in quibus noster libidini suae sic indulsit, ut praecipuam Italis laudem deterere conetur, qua prae ceteris gentibus celebrantur. Mira fortasse commemorabo, auditores, quibus nemo sane vestrum fidem adiungeret, ni pene ad verbum ex Mommsenii historia essent expressa. En igitur quae de nobis et sentiat et scribat Mommsenius: « Italica gens nec potuit olim, nec potest in praesenti inter illas enumerari, quae poëtica virtute in primis commendentur.... Italorum pectus lentum, vehementioribus affectibus impar. Nullus unquam populus aut rhetoricis pigmentis, aut comica actione Italos aequiparavit. At in iis quae pertinent ad interioris artis rationes, quandam solertiae mediócritatem nunquam Itali excesserunt; neque ulla unquam tempestate aut epicum aut dramaticum carmen illorum literae ediderunt, numeris omnibus absolutum. Vel ipsa opera diligenter elaborata, quae apud Italos praecipua laude feruntur, uti divinum Aligherii poëma, uti Sallustii, Machiavelli, Taciti et Collettae historiae, rhetoricum potius fucum, quam sincerum naturae colorem referunt. Quid quod? Ad rem musicam quod spectat,

facile quidem ac libens ingenium praesetulerunt, non singularem excogitandi facultatem,... et potiusquam viros musicae artis apprime doctos, gregarios quosdam artifices in coelum extollunt, divinae rationis expertes, qua audientium animi permoventur (2). »

Hisce nimirum probris Italos proscidit Mommsenius in historia, quam per summum dedecus italus quidam Sentinius italice est interpretatus, quo facilius, credo, contumeliae in Italos iactatae in omnem late Italiam pervulgarentur; in historia, quam levissimi atque indoctissimi homines maximis laudibus prosequi, et classicis scriptoribus praeoptare non dubitant, veritatis iuxta atque italici decoris securi. Ad me quod attinet, auditores, si germanus historicus, se coram offerret, sic blande hominem compellarem: Dic, amabo, doctissime Mommseni, nunquamne, dum Italiam peragrares, litteratos lapides terra marique conquisiturus, nunquamne auditione accepisti, Virgilium quemdam, mantuanum poëtam, epicum carmen concinnasse, cui Aeneida nomen fecit? Iamvero non Italos tantum, sed externos plerosque intelligentis iudicii viros haec fama obtinet, primas in epica poësi Virgilium tulisse; ad quem subsequentes epici poëtae sic respexerunt, ut multi multa ab eo petita in rem suam converterent, nemo unus ipsum superaret. Quamquam vero Mantua, ubi natus est Virgilius, Teutonorum dominatum quandoque pertulit, est tamen italica urbs, quae divinum vatem, Aeneae praeconem, a se genitum gloriatur.

Dixi modo, recentiores epicos poëtas solitos fuisse in Virgilium, veluti in absolutissimum exemplar intueri. In his complures enumerantur, tum nostrates, tum externis gentibus orti. Sed unum ex omnibus commemorabo. Nescio, Mommseni, vir eruditissime, an forte ad aures tuas unquam pervenerit nomen Torquati Tassi, qui epico poëmate fortissimum virum cecinit, quo duce, arma Europaeorum in Orientem pro Christo sunt illata. Acutissimi critici hoc Torquati nostri poëma concordes praedicant, tamquam praestantissimum omnium, quae post renatas litteras in excultissima quaque gente prodierint. Fridericus ipse Schlegelius, quem nosti, quemque nemo sane italicae dignitatis nimium fautorem aut amplificatorem dixerit, Schlegelius, inquam, Camoënsium et Tassum facile principes in heroica poësi dicere non dubitavit. Tasso quoque non in ultimis laudum hoc fuerit, quod eius poëma in nobilissimas omnes Europae linguas est translatum.

Multa praeterea possem hac de re in medium proferre, quibus abunde confirmarem, Italiam, neque epicorum poëtarum numero, nec praestantia ceteris gentibus cessisse. At vos profecto taederet oratoris, in re nota et pervulgata perperam immorantis; praesertim quum alia complura sint refellenda, quibus falso nos insimulat historicus. Et primo quidem invidiose Italos criminatur, quod nullum unquam laudabile carmen dramaticum protulerint. Qua de re obtrectatorem nostrum ad historiam delegamus, quam I. L. Kleinius, vir apud Germanos magnae

existimationis de dramate nuperrime concinnavit (3). Ibi videlicet acerrimi iudicii vir a Marco Accio Plauto auspicatus (cui verum nomen asseruit (4) adversus inanes Friderici Ritschelii cavillationes), de dramaticis poëtis nostris sic disserit, ut omnes singillatim commemorando, qui floruerunt a Sarsinate ad Goldonium, ad Alferium, ad Metastasium, ad Albertum Notam, ad Gherardium del Testa, ad Paullum Ferrarium, aliosque, meritam iis laudem non invideat, nedum italicae nationi falsum crimen affingat, quod quasi venenatum telum in nos iacit Mommsenius. Germani hominis auctoritati, uti videtis, auditores, in primis acquiesco, quum multo plura mihi in medium proferre liceret, quae italici dramatis dignitatem tuentur. Sed satis sit Molierium memorare. Etsi plurimas argutias facetissimi salis ex ingenio suo expressit gallus hic poëta; haud parum tamen ad comicam illius vim contulerunt Sarsinatis nostri comoediae, quarum lectione constat mirifice fuisse delectatum.

Hactenus, auditores, de poëtica Italorum facultate. Venio nunc ad multo graviora. Inauditum plane atque ita novum crimen in Italos intendit Mommsenius, ut dubium mihi sit, utrum ipsum uti gravem adversarium refutem necne. Vecordiam germani hominis attendite, quaeso, auditores. Optimos quosque italos scriptores, singulari et prope divina ingenii vi praeditos, ipse fucatos rhetores appellat, a naturae norma et praescriptione longissime aberrantes. Aligherium nominatim, Sallustium, Tacitum, Machiavellum rhetores dicit. Haec

quidem verba inconsideratissimae temeritatis, neminem sane effutiisse credideris, nisi qui latinas atque italicas litteras ne a limine quidem salutarit, aut vatiniano odio Italorum nomen et decus persequatur. Ecquis enim unquam, per Deum immortalem, in Sallustio, in Tacito, in Machiavello veras, concinnas, graves, sapientesque sententias non est miratus, aptis verbis perpolitas, et plane sine pigmentis atque rhetoricis exornationibus? Postremo Aligherii ornatum virilem, fortem, sanguine et viribus nitentem criminari, perinde ac si rhetoricam redundantiam et colorem fuco ementitum praeseferat, ea vero extrema inscitia est, auditores humanissimi (5). Huccine tandem, Tacite, Aligheri, Machiavelle, huccine tandem cuncta reciderunt, ut vos qui omnem vitae cursum in animi contentione, in studiis, in laboribus transegistis, vos, quorum nomina clarissima in universum terrarum orbem sunt pervulgata, quorum opera doctissimorum hominum manibus teruntur, eruditorum animadversionibus declarantur, omnium laudibus efferuntur, vos, inquam, ad humilem rhetorici artificis conditionem abiiceremini? Huc nimirum ventum est, ut homo germanus, quem Itali humanissimo et benigno hospitio toties exceptum, in litterarias nostras societates honoris causa cooptavimus (6); cui antiquitates nostras investiganti omnia quibus egeret subsidia et commoda ultro obtulimus, huc, inquam, ventum est, ut homo germanus debitas, meritasque nobis gratias persolvat, Italorum nomen ex libidine obscurando, quibus omnem ingenii laudem eripere conatur!

Neque id satis, auditores. Ne in levioribus quidem artibus, a quibus homines honestam oblectationem petere consueverunt, iudice Mommsenio, ultra quandam mediocritatem progressi sunt, nedum principatum obtinuerint Itali. Rei praesertim musicae nobis palmam invidet Mommsenius, quam ultro nobis deferunt transalpinae iuxta ac transmarinae regiones. Perinde ac si, ceteris praetermissis, Bellinium, Rossinium, Mercadantem, Verdium non protulerit Italia, quorum divinae symphoniae piorum mentem in templis ad Deum erigunt, spectantium aures in theatris morantur, ubicumque demum simus, otiosum tempus fallunt, tristesque discutiunt cogitationes (7). Tui sane me miseret, Mommseni, qui tam parum teretes aures sis sortitus, ut iis nihil plane afficiaris, quae non humaniores modo homines, sed tunicatus ipse popellus ubique terrarum pronis auribus hauriunt. Psaltae nostri vel in extremas orbis regiones magna mercede hinc arcessuntur. Illorum adventus multos ante dies a diariis praenuntiatus, omnium civium sermone celebratur. Ubi vero expectati, desiderati in scenam prodeunt, mirum qui clamores, qui plausus tota cavea, seu festivas semperque revirescentes Hispalensis Tonsoris cantilenas modulentur, Rossinianis numeris aptatas, seu Bellinianae Normae lamentabile carmen, seu demum quidpiam concinant iucundis modis, quos nuperrime fecerunt Donizetius, Pacinius, Verdius. Quapropter, quum communi omnium populorum sententia, in musicis facile primas teneant Itali (8),

non video cur agresti aure Germanus omnium consensum audacter explodere non dubitarit. Hem , auditores, quo redacti sumus peregrini hominis impudentia ! Repente fungi, bardi, blenni facti sumus, sine humanitate, sine litteris. Diviniores poëtae nostri , historici nostri sapientissimi, ceu fucati rhetores cum irrisione luduntur. Vel ipsa coelestis modorum vis , singulari quodam Dei munere Italorum animos illapsa, per summum nefas nobis eripitur !

Quidquamne putatis esse, auditores, supra haec, quae in medium attuli , quo progrediatur hominis vecordia ? Est profecto. Non modo laudem quae ex poësi , ex historia, ex musicis in Italos redundat , iniuria deterit Mommsenius ; sed oratoriam quoque virtutem M. Tullio Ciceroni denegare non erubescit , quem post octodecim ferme secula omnes gentes aliqua humanitate expolitae uti oratorem principem celebrare atque admirari non destiterunt. Humanam prope fidem excedere videtur absurdum hoc Mommsenii commentum. Quopropter haud abs re me facturum existimavi , si hoc latine interpretatus , verbum ferme pro verbo redderem. « Si libeat, inquit Mommsenius , in Tullio scribendi facultatem expendere, non maioris sane faciendam dixeris, quam ipsius prudentiam civilem, quae nullam ei peperit existimationem. Ut ad aliquam laudem adsurgeret , in omni scriptionum genere ingenium periclitatus, ausis semper suis ineptus excidit. Placetne dicamus de oratoria dicendi vi ? Quamnam putatis esse debuisse in homine tam mo-

bilis ac pene frigidi ingenii, ut nulli unquam opinioni firmiter adhaereret? Equidem non eloquentem causarum patronum, sed latratorem et rabulam dicere non dubito. Non defuere quidem Ciceroni ad coronam oranti festivi quidam sententiarum lepores auditoribus exhilarandis, aut aculei verborum, quibus adversarios peteret. At praestantissimae quae fama feruntur Tullianae orationes, etsi quamdam legenti iucunditatem afferunt, longissime tamen absunt a vi et venustate, quibus optimae oratoriae dictiones, et vel ipsi Beaumarchei commentarii commendantur. Sicui tamen ob facetos sales, quos modo memoravi, optimo iure Arpinas laudandus non videatur, equidem non repugno. Namque in Tullianis orationibus, ubi res publicae in quaestione versantur, civilis omnis prudentia desideratur; in forensibus disceptationibus patronum animadvertis iuris inscitia saepe laborantem, non tam clientis commodis servientem, quam de se et de ingenii fama anxium, praesertim vero inanem verborum sonitum stomacharis, nulla subiecta sententia. Quid plura? doctissimus quisque hoc unum, mea quidem sententia, mirabitur, oratorias videlicet Ciceronis scriptiones, magnam aliquando sui admirationem iniecisse (9). »

Si quis ex ultima barbarie absurda haec atque incredibilia effutiret, insignem hominis stupiditatem miseratus, tacerem. Quid enim referret in truncum atque stipitem invehi? At quisnam sibi temperet, talia legenti a Mommsenio illo prolata, qui, quasi canis venaticus, vel levissima romanae humanitatis vestigia diligentissime odora-

tur ac pervestigat? qui totus est in latinorum scriptorum codicibus excribendis et expurgandis? qui nullis laboribus frangi, nullis difficultatibus absterreri, nullis aut valetudinis aut itinerum incommodis retardari se patitur, siqua modo spes ostendatur, fore ut vel minimum romanae antiquitatis monumentum a tenebris atque a silentio ei liceat vindicare? Equidem acrem Mommsenii curam in latinas litteras collatam mecum ipso considerans, nequeo, auditores, satis mirari, unde ad illas opiniones venerit, quas supra memoravi. Haec autem sententia magis magisque animo meo sedet, nupera haec philologiae studia, quae apud Germanos vigent, in aucupio syllabarum, in etymis quaeritandis tantummodo posita, ingenii aciem sic obtundere, ut viri ceteroquin eruditi, in rebus aestimandis a praestantissimorum intelligentia et sensu longissime recedant, nedum tirones, diu in hisce tricis commorati, aliquam doctrinae praestantiam consequantur. Huc accedit, quod morosa et anxia diligentia, adhibita excutiendis membranulis, vetustate evanidis, tinea exesis, librariorum oscitantia deformatis, item supplendis atque interpretandis litteratis lapidibus, quos indocti quadratarii barbaria saepe infuscarunt, usum sane quemdam et facultatem Mommsenio dare potuit discernendi genuina a suppositis, antiqua a recentioribus superinductis; sed celeres ingenii motus in homine retardavit et pulcri sensum extinxit. Itaque nil mirum, si intelligens illius iudicium plane hebescere videatur. Si enim ita res sese non haberet, quinam fieri posset,

ut Mommsenius, doctissimo viro, qui libros exaravit de legibus, de officiis, de republica, omnem civilis sapientiae laudem invideret? Qui fieri posset, ut inepti scriptoris macula notaret sapientissimum virum, qui Graecorum philosophiam latinis litteris illustravit in Tusculanis Disputationibus, in Libris Academicorum, in Libris de finibus bonorum et malorum, de divinatione, de natura Deorum? Qui fieri posset ut tricas appellaret Tullii epistolas ad Atticum, ubi sollertissime in causas inquirit ruentis romanae reipublicae, acute de studiis principum virorum iudicat, argute disputat de rebus difficillimis? Aut ego, auditores, nihil plane in istis rebus intelligo, irritoque labore in evolvendis Tullianis operibus vitam omnem meam stolidus exegi, aut ego videor iure meo Mommsenium compellare vel hominem omnis iudicii expertem, vel indoctum, qui ex Tullianis scriptionibus, non plus delibavit, quam quantum ex prima illa puerili institutione obiter ac perfunctoriè percipimus. Quod quidem quum de omnibus Ciceronis operibus generatim liceat affirmare; tum de orationibus praesertim quae, ex Mommsenii sententia, patronum arguunt iuris ignarum, familiariter iocantem, securum ceteroquin de clientis vita et fortunis, postremo hominem in verba proiectum, locutuleium ac blateronem (10).

O Marce Tulli, iurisperitorum eloquentissime, quum forensi opera per diem defessus, ad antelucanas lucubrationes e lectulo surgeres; quum gregibus amicorum

stipatus ad forum descenderes; quum te e rostris dicentem populus universus arrectis auribus audiret, atque admirationem suam acclamatione et plausu confiteretur; quum iudicum mentem ira aut miseratione permoveres, nefariis perniciem, innocentibus salutem, miseris solatium afferendo; quum luculentis tuis in Catilinam orationibus rempublicam ex impiis coniuratorum faucibus eripuisti; quum cives Antoniano latrocinio liberasti; quum Verrem, maleficiis convictum et pro factis iudicium timentem, solum vertere iussisti, anne futurum aliquando diem suspicabaris, quo homo germanus te rabulam, te locutorem diceret, canoras tantummodo nugas effutientem? Profecto siquis eorum quae in terris fiunt sensus ad manes pervenit, puto equidem te, oratorum praestantissime, qua es animi altitudine, iniquum obtrectatorem laudum tuarum ridere. Ridemus et nos, Marce Tulli. Neque enim haec quae scribimus, eo spectant, ut te adversus Mommsenii criminationes purgemus, sed ut meritam genti italicae gloriam vindicemus, quae ex immortalibus operibus tuis in nos redundat. Ridemus et nos frigidum atque inertem archaeologum, de re incognita perperam iudicantem; nos qui grande mortalis aevi spatium in latinis scriptoribus evolvendis impendimus; qui longo et diutino illorum studio acceptum referimus, si quidquam intelligentis iudicii in litteris sumus consecuti; qui grammatistarum gregi nomen non dedimus, etymorum argutias aucupantium, sed optimum quemque Romanorum perlegimus, ut pectus nostrum, veterum sa-

pientia roboratum, aequalium corruptelis obsisteret, temporum infelicitatem toleranter ferret; praesertim vero ut disciplinae nostrae alumni e nobis exemplum sibi sumerent laboris, fortitudinis, constantiae, quae neque adversis frangitur, neque unquam de suo cursu patitur, se aut illecebris aut praemiorum spe dimoveri.

Ad haec igitur studia, quae adolescentiam meam aluerunt, florentem iuventam ornarunt, nunc canescenti aetati requiem et solatium afferunt, ad haec, inquam, studia vos etiam atque etiam vehementer hortor, adolescentes lectissimi; in primis vero ad haec Tulliana opera perlegenda, quae perridicule carpit Mommsenius. Siquidem Tullius singulari ac prope divino ingenio, amplissima doctrina, genere dicendi magnifico atque praeclaro spectandus, unus omnium maxime aptus semper habitus est eliciendae, fingendaeque iuvenum eloquentiae. Arpinatis operibus accedat diligens carminum atque historiarum lectio; namque sublimis poëtarum spiritus, teste Quintiliano (11), orationem attollit; historici autem rerum gestarum exemplis segetem ac materiam dicendo suppeditant. Neque absurdae Mommsenii insectationes a poëtis atque historicis romanis vos deterreant, auditores humanissimi. Per hos enim scriptores, quos viri sanctissimi in coenobiis servarunt, ad hanc humanitatis lucem emerserunt olim patres nostri ex crassis tenebris Europae superfusis, quum fractae Romanorum opes irrumpenti hyperboreorum barbariae succubuerunt. Adsidua horum scriptorum lectione innutritis vobis continget, ut non ve-

stris tantum commodis serviatis, sed communis patriae decus atque existimationem tueamini, quao frustra calumniatus deterere conatur Mommsenius (12). Hac via insistentes Italiae gloriam conservabitis, quam pro viribus infringere student quotquot per summum nefas Mommsenii conatibus suffragantur, illam disciplinam secuti, quae in solo syllabarum aucupio versatur, quaeque frigida et morosa eruditione iuvenilis ingenii aciem retundit. Hac via insistentes id demum consequemini, adolescentes lectissimi, ut vos, Italis prognati, qui seculo quintodecimo et sextodecimo ceteris Europae gentibus clarissimum ingenii et cousilii lumen ostenderunt, fortiter et strenue impressionem Germanorum feratis, qui in litteraria disciplina omnium Europae gentium iam vellent dominari.

Utinam falsus vates ferar, auditores humanissimi! In medium tamen proferre non dubitabo quod iamdiu praesentit animus. Nisi Itali gentis nobilitate dignos spiritus capiant, video maximam turpitudinis notam in futurum tempus nationi nostrae esse inurendam; quum haec omnino fama per universum orbem percrebuerit, Italos videlicet, extra omnem ingenii aleam positos, infusa in civitatem peregrinitate, eo tandem venisse, ut omne lumen litterarum hyperboreis populis acceptum ferant, quos armis olim devictos, rudes atque agrestes ad humanitatem excoluerunt (13). Aetas mea iam devexa a tanto pudore me sane vindicabit. Ut vos, in patriae spem succrescentes, ab hac calamitate eripiamini, in vestra solum virtute positum est, adolescentes lectissimi.

ADNOTATIONES

(1) *V.* Diogenis Laertii. *De vita et moribus philosophorum*, lib. v; Πρὸς τὸν καυχώμενον ὡς ἀπὸ μεγαλης πολεως εἴη, Οὐ τοῦτο, ἔφη, δεῖ σκοπεῖν, ἀλλ' ὅς τις μεγαλης πατρίδος ἄξιός ἐστιν.

(2) V. Mommsen. *Storia rom.* lib. I, cap. 11.

(3) *Geschichte des drama's* von I. L. Klein, Leipzig, T. O. Weigel, 1865, in-8, pag. 480 et seqq.

(4) Vide hac de re Thomae Vallaurii Animadversiones in dissertationem Friderici Ritschelii de Plauti poëtae nominibus. Augustae Taurinorum ex officina Regia an. MDCCCLXVII, in-4. In Actis R. societatis Taurinensis scientiarum finibus proferendis (*Serie* II, *tom.* XXIV, *pag.* 147, *e segg.*). Item in volumine, cui titulus: Thomae Vallaurii Acroases III. Augustae Taurinorum ex officina Marini et Gantini, 1869, in-8, picc.

(5) Longe aliter ac Mommsenius de Aligherio sentit acerrimi iudicii vir, qui iamdiu totus est in Aligheriani poëmatis studio: « In quegli altissimi versi (di Dante) l'arte raggiunse l'ultimo della perfezione.... vi splende la verità dell'affetto e della natura. » Vide Orationem cui titulus: *Dante e il vivente Linguaggio Toscano, Discorso di* G. B. Giuliani. Firenze, Stamp. Reale, 1872.

(6) Iam abhinc aliquot annos inter sodales Societatis Taurinensis scientiarum finibus proferendis, Theodorus Mommsenius merito est adlectus.

(7) Huc faciunt, quae habet Quintinus Guancialius, vir illustris, in pereleganti suo carmine, quod inscribitur: In obitum Xaverii Mercadantis Harmoniae:

« Atque eadem vis tanta Deae numerosa per urbes
Ausoniae illabens, hinc illinc format alitque
Cultores artis coelo capita alta ferentes. »

Hic vero, arrepta occasione, etiam atque etiam gratulor suavissimo Neapolitano poëtae, eidemque amico carissimo, qui Sannazarii, Fracastori, Vidae vestigiis ingressus, Italorum nomen apud exteras gentes poëmatiis suis renovavit.

(8) Cf. quae scripsit Venerius Orlandius, vir cl., de principatu, quem in musicis obtinet Italia. « Che dirò poi della tua sentenza sulla musica tedesca, che cioè sia preferibile alla italiana? So bene, che dopo Sedan ci si è messa in capo la mania di totalmente germanizzarci, come totalmente nei tempi della grandezza gallica ci eravamo infranciosati. Ma lasciamo codesto ai molti scimiotti, onde l'Italia nostra sventuratamente abbonda; noi difendiamo a viso aperto le nostre glorie, non per cullarci a vicenda sugli allori mietuti, sibbene perchè ne siamo spinti a lavorare di lena ... » Lettera di Venerio Orlandi *al Cav. Lorenzo De-Luca da Campobasso*. Rocca San Casciano, Stabilimento tipogr. di F. Cappelli, 1872.

(9) V. Mommsen, *Storia Romana*, lib. v, cap. 12.

(10) Cf. quae habet de M. Tullio Cicerone Velleius Paterculus II, 34 : « Marcus Cicero, qui omnià incrementa sibi debuit, vir novitatis nobilissimae, et, ut vita clarus, ita ingenio maximus... »

(11) Instit. Orat. x, 5, 4.

(12) Quam temere de rebus nostris sentiat Mommsenius, apertissime testatur etiam disputatio, cui titulus: *Sull'antichità dell'aes librale di Rimini, secondo il giudizio del chiaro Dottore Teodoro Mommsen*, *Osservazioni del Commendatore Dottore* Luigi Tonini. Rimini, tipografia Malvolti, 1872, in-4, di pag. 16. Cf. *Storia della Moneta Romana di* Teodoro Mommsen, vol. I, pag. 192 e segg. Cf. Libellum, qui superioribus diebus prodiit Mediolani cum hoc titulo: *L'arte italiana giudicata da Teodoro Mommsen*, *Cenni critici del prof. Michele Sartorio.*

(13) Haud aliter sentit Marius Palladinus vir cl. in scriptione sua, cui titulum fecit: Italianità e Germanismo: « *Una educazione letteraria e scientifica alla tedesca affogherà ogni affetto veramente patrio nelle crescenti generazioni, le quali,... avranno imparato nelle scuole a tenere in dispregio la propria nazione, in onore lo straniero.* » V. La Carità, *Rivista religiosa, scientifica e letteraria.* An. VII, quad. IX, settembre. Napoli, tipografia degli Accattoncelli, 1872, pag. 210-224.



VALLAVRII. Latinae Exercitationes, grammaticae et rhetoricae studiosis propositae, editio quarta, additamentis locupletata et novum in ordinem digesta; in-16, pag. 110, 1868 . . . L. 0 80

— Orationes habitae in auditorio maximo R. Athenaei Taurinensis, ab anno MDCCCXLII ad annum MDCCCLV; editio quarta in-16, pag. 244, 1865 . . . . » 1 25

— De optimis editionibus scriptorum latinorum. Acroasis facta studiis auspicandis litterarum latinarum in R. Athenaeo Taurinensi III nonas dec. ann. MDCCCLXX; in-16, pag. 24 . . » 0 40

— De utilitate ex latinis scriptoribus petenda. Acroasis facta studiis auspicandis litterarum latinarum in R. Athenaeo Taurinensi prid. cal. dec. ann. MDCCCLXXI; in-16, pag. 24 . . . » 0 40

— De praecipuo scriptorum nostri temporis officio. Acroasis facta studiis auspicandis litterarum latinarum in R. Athenaeo Taurinensi pridie nonas dec. an. MDCCCLXIX; in-16, pag. 24 . » 0 40

— De libris anthologicon. Acroasis facta studis auspicandis litterarum latinarum in R. Athenaeo Taurinensi cal. decembr. an. MDCCCLXV; in-8, pag. 20, 1865 . . . . » 0 25

— Inscriptiones: accedunt epistolae duae de re epigraphica et Osvaldi Berrinii appendix de stilo inscriptionum ex operibus Stephani A. Morcelli depromta; editio tertia, plurimis additamentis locupletata; in-16, pag XXII- 434, 1865 . . . . . » 2 50

— Acroases IV factae studiis litterarum latinarum auspicandis in R. Athenaeo Taurinensi ab anno MDCCCLXV ad annum MDCCCLXVIII; Accedunt: I. Animadversiones in Dissertationem Friderici Ritschelii de Plauti poëtae nominibus. II. Obiurgatoria Ritschelii Lucubratiuncula in auctorem Animadversionum. III. Adnotationes in obiurgatoriam Ritschelii Lucubratiunculam. IV. Appendicula aliquot locorum, in quibus Ritschelius in latinitatem insigniter peccavit; in-16, pag. 160, 1862 . . . . » 2 00

— Vocabolario latino italiano e italiano latino ad uso delle scuole riveduto e corretto da Tommaso Vallauri; 2 vol. in-8 . . » 15 00

Opere italiane del medesimo Autore.

NOVELLE. Il mago della Garzegna. — Il Barbiere del Rinchiuso. — I sinonimi d'un metodista. — L'Epigrafista di Monreale. — La bengodi dei Calandrini. — La maestra di scuola. — Il Pedagogo Subalpino; 4. ediz. riveduta ed accresciuta dall'Autore; un vol. in-32, pag. 300 . . . . L. 0 60

Il Castello della Chiusa: novella in-32, pag. 60 . . . . . . » 0 25

L'Apocoricosi; novella in-32, pag. 66 . . . . » 0 25

Lo spiritismo; novella in-32, pag. 50 . . . . » 0 25

Il sogno di un pedante; novella in-32, pag. 54 . . . . . . » 0 25

Prezzo (1567) Cent. 40



